



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

121. De reditu Sancti Bonifacij ad S. Vwillibrordum in Frisiā. Nonnulla  
obscūria explicantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

De reditu Sancti Bonifacij ad S. Willibrordum  
In Frisiam. Nonnulla obscuriora  
explicantur.

**S**anctum Bonifaciū Roma discedentē diss. 119. vidi-  
mus. Post quam relictam contulit se ad Regem  
Longobardorum Luitprandum qui eum honorifi-  
ce accepit. Ab illo ardua & prærupta Alpium iu-  
ga transcendens in Baiorios (Bauaros) inde in Tu-  
ringiam descendit 720. vbi per aliquot dies hærens om-  
nes illius Provinciæ Principes verbis spiritualibus allo-  
quens, ad sacrę fidei agnitionem, totiusque religionis tra-  
mitem reuocauit. Sed & sacerdotes, quos sceleribus va-  
rijs deditos comperit, sermonibus Euangelicis admonens,  
ad institutionis Canonicæ normam correxit. Interim ad  
aures peruenit obitus impij Radbodi Frisiorum Regis qui  
nuper funestas tragedias Frisiæ & Austrasiæ Ecclesijs mo-  
uit, causaque Bonifacio extiterat ex Frisia in Angliam re-  
deundi anno 716. vide dissertat. 103. Audito Tyranni  
interitu, non quieuit spiritus eius donec amato & Reue-  
rendo suo Patri ac magistro Willibrordo denuò coniunge-  
retur, confectisque itinerum molestijs Frisiam intrans  
anno 720. desiderij compos redditur.

Verūm antequam de secundā hac mansione apud Wil-  
librord. plura, interponendum vnum verbum de prima  
commoratione 13. annorum, quam per tria loca & per tria  
tempora distinguit citatus à Serario lib. 3. Mogunt. no-  
tatione 12. manuscriptus Fuldeſis Codex, in quo præcep-  
toris & magistri sui S. Gregorij Ultraiectini post S. Willib.  
& S. Bonifacium Præfuslis vitam litteris consignauit S.  
Ludgerus, enarrans: *Cum ipse electus Dei Bonifacius Martyr*

III 3

pop

post 13. annos peracta in Fresonia prædicationis, quibus in australi parte laci Almari pauper en angelicus, & propemodum solitarius seditionem suam tribus in locis peregisset; quorum vocabula sunt hac: primus vocatur Wyrda, in Ripa fluy Rheni, ubi septem annis habitavit. Secundus appellatur Attingobem, iuxta amnem Febra, ubi habitavit annis 3. quo in loco primum capiz unum habere discipulum nomine Gembertum: Tertius locus appellatur Felisa, quo propior erat gentilibus & Paganis, ubi 3. similiter annis mansit. Sic ille Codex nostrum est nonnihil illustrare. Ac primum obserua tria loca enumerata fuisse sedes fixas & ordinarias residentias S. Bonifacij; quare non vetat quo minus in alijs Frisiæ locis subinde egerit & veram sit illud lib. I. vñc Bonif. cap. 8. Othloni, Bonifacium ex Anglia transisse Dorset (Durostadium) ibique aliquamdiu commoratum debitas Deo persoluisse die noctuque laudes. Item antequam in Angliam rediret, peruenisse ad Treht, ibique etiā aliquantis diebus hæsisse.

Quod ait Laci Almari, nomine ipso proditur Ciuitas & terra Alcmaria, quæ, sicuti & vicinia, etiamnum abundat lacubus, inter quos sunt de Scermer/ De Bemster/ Purmet / De waert / Woermer / De Zuppe / & quos olim per modū vnius lacus se habuisse videtur citatus Auctor indicare & ipsum nomen Almari, Alneer, quasi totum mare, totum Lacus, palus; incolarum enim gnara & laboriosa industria multos in arua sequentibus sæculis potuit cōuertisse. certe ante multos annos magna pars nominatorum ferendis frugibus redditæ est idonea.

A parte Australi, Vergit ea versus Frisiæ Occidentalem, Geldriam, Brabantiam, &c.

Wyrda omnino est Woerden oppidulum versus Australi partem Alcmariæ ad littus antiqui Rheni dum Cadwicanum ostium ingrediens, per Leijdam, per castra Alphena

phena Woerdenum adlambens Ultraiectinam urbem copiosus nobilitaret, qui nunc degener stagnantes cis vix ostendit aquas.

*Felisam* imaginor esse *Els* mobile municipium in Batua ad Lingam amnem medio fermè itinere inter Arnhemum & Neomagum, quod Carolus Martellus postmodum donauit S. Willibrordo In hoc S. Werenfridus Willibrordi sodalis plurimum desudauit. glebamque sui gloriose corporis depositus. Scribitur ab olim *Elisa*, *Ilstum*, *Elissa*, *Helista*, *Helisa*, ac facile per F *Felisa*. Non nouum ingrauescentibus æuis nomina vel prorsus aboleri, vel varijs inflectionibus, detractionibus, additionibus, immutari.

Quid Attingohem, quid amnis Febra, diu meditandone quidem per coniecturam assequi potui. Tandem in pinacibus occurrit *Tienhouen* quod cum Attingohem nomine & significatione bellè conspirat: *Tin* / *Tien* / *Hem* / id est domus, curia, vernacula *Hoff* / *Houen*: att syllaba adiuncta videtur præpositio ad, siue *aen* *Tingohem* siue *Tienhouen* denotans, quæ ex vsu siue abusu non raro cum nomine coalescit, adeoque Attingohem sit idem quod ad, siue *aen* *Tienhouen*. Nec rei disconuenit, quia paulatiim Bonifacius ex Septentrionali parte versus Australia lacus Almari promovit, in quibus est *Tienhouen*. Consequenter amnis Febra sit ille qui modo Lecca, ad cuius ripâ spectatur *Tienhouen*, vel aliquis riulus è Lecca dimanans.

Nota hic primò, quam sedulò in paupertate Christiana in Euangelica schola profecerit sub Willibrordo Bonifacius, adeo feliciter ut discipulos inciperet congregare idque in Hollandia & vicinia. Gloriatur Batauia Erasmo in lucem producto; potius glorietur hoc alumno, hoc incola in tantam personam, in victoriosissimum Apostolum

lum

ium educato, eucto. Celebrant nonnulli male feriati Woerdam ut natale solum Ioannis Pistorij, qui Hæresios damnatus exustus est Hagæ Comitis anno 1525. celebrant potius Woerdam nutritum solum inhabitoris Bonifacij, qui fide Orthodoxa insignitus, pro eadem gloriosam mortem oppetit.

Nota secundò, prædictos tredecim annos primæ cōmorationis non esse accipiendos integros. Duodecim solum integri sunt, decimus tertius est imperfetus: nam anno 704. S. Bonif. primo ad Willibrod. accessit & 716. in Angliam recessit, quod spatium conficit annos integros 12. & partem 13.

Circa secundum aduentum quæri potest, Cur Frisia petierit S. Bonif. Cur non in Germania manserit quò plurimum eius legatio spectabat? An quia Frisia etiā est Germania? An quia Pontifex in diplomate committit ut ad quascunque gentes infidelitatis errore detentas properaret?

Resp. Licet Frisia contineatur modò sub Germania inferiori & Germaniæ pars quondam fuerit, tamen apud Willibrordum & Othlonum libro primo vitæ Bonif. cap. 15. & alibi Frisia condistinguit à Germaniâ, & Bonif. intellexit sibi datam facultatem ab Apostolico laborandi in Germania, non in Frisia. Sic enim se excusat dum Willibrord. ei Frisiæ gubernacula deserre tentaret: *Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, sancte Praeful, suscipere non audeo, quia a Beato Gregorio Papa in Germaniam ob euangelizandi causam directus sum, ipsiusq; legationis gratia in has barbaras nationes adueniens, sponte me tue gubernationis, imperio subieci.* Vbi certè aliud est Bonifacio Germania, aliud Frisia. Quare dum eum Pontifex mittit ad quascunque gentes infideles, intelligendum ad gentes Germaniæ quæ varię & plurimæ

## DISSERTATIO CXXI.

447

plurimæ in diuersas Regiones vastissimè disseabantur.  
Cur ergo in Frisiæ concessit Bonifacius? Cur post redi-  
tum à Roma non mansit in Germania, delegata?

Resp. causa est quod cum negotium conuersionis Ger-  
manicæ arduum sublimeque esset, expetierit à Willibrordo  
Magistro suo iam triginta annos exercitato consilia, exem-  
pla ceteraque Apostoli munia perfectius haurire, plenius  
ediscere, ut omni peritia munitus legationem suam dig-  
nè valeret implere, quemadmodum ipsem Bonifacius a-  
pud Othlonum supra videtur fateri. Præterea apud & per  
Willibrord. obtinuit notitiam, fauorem Caroli Principis  
reliquorumque Austrasiæ Princ. quorum auxilio inten-  
tum eius plurimum fuisse adiutum ex eius actis apud  
Othlonum est legere.

## DISSERTATIO CXXII.

De S. Willibrordo conante Onus Episcopale  
imponere S. Bonifacio.



Ostquam aliquo tempore Winfri-  
dus in Frisia sub Dioecesi & contu-  
bernio S. Willibrordi egisset, in Fri-  
sijs erudiendis, idolorum fanis de-  
struendis, Christi Ecclesijs erigen-  
dis non parum collaborasset, probe  
exploratis eius ingenio, Zelo, in-  
dustria, pietate, meditatur cona-  
turq; S. Willib. ei Episcopales fasces imponere anno 722.  
Verum refugus ille ad Germanicorum agitorum spiritua-  
lem culturam sese confestim confert.

Kkk

Non